

ex constitutione Clementis VII incip. *Exponi*.

(43. Notarii exsequentes litteras Apostolicas offendi prohibentur, sub pœna excommunicationis in bulla Cœnæ. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 14, incip. *Pastoralis*, § 13.

(44. Notarii expedientes inhibitiones vigore appellationis in casibus non permissis, infamiam, et inhabilitationem incurrunt et pœnas pecuniarias. Idem const. 48, incip. *Ad militantis*, § 40. (45. Item expedientes monitoria in causis ultra montes absque speciali iudicis rescripto. Idem, *ibid.*, § 47.

(46. Item recusantes exsequi citationes, et mandata Sedis Apostolicæ, et curiæ Romanæ, vel alias executiones impediens. Idem, constit. 42, incip. *Pastoralis regiminis*, § 8.

(47. Notarii, quorum opera, et scientia Judæi conversi libellum repudiæ dederint conjugibus in Judaismo remanentibus, puniantur pœnis pecuniariis, et etiam aliis. Idem, tom. II, constit. 38, incip. *Apostolici ministerii*.

(48. Terminus mensis a concil. Trident., sess. 24, c. 20, vers. *Præterea*, præfixus notario suffraganei ad dandum acta, potest a metropolitano abbreviari. S. congreg. Concil. in *Castren.* 31 Augusti 1605, apud Nicol., in *Lucubrat.*, tom. II, lib. II, tit. 28, n. 82, et apud Joann. Baptistam Pittonum *Constitut. et decision. ad episcopos*, tom. I, n. 635.

(49. Non potest episcopus præcipere, ut iudices synodales in causis sibi delegatis uti tantum debeant opera notariorum curiæ episcopalis. Sac. cong. Concil. in *Pistorien.* 13 Novembr. 1627, apud Nicol., in *Floscul.* verb. *Judex*, n. 25, et in *Lucubrat.*, t. II, lib. I, tit. 29, n. 13, et apud Pittonum, *loc. cit.* n. 982.

(51. Instrumentum depositi rogari potest a quolibet notario ad arbitrium monialium, dummodo exhibeatur copia authentica in cancella episcopali. Sac. congreg. Episcoporum. in *Aquilana* 8 Novembr. 1612. *Vid. supra* verb. *MONIALES*, artic. 2, num. 21 et 22.

(51. Notarius exsul ab urbe ob defectus in officio commissos, non debet admitti in tribunalibus ordinariorum. Sac. cong. Episc. in *Interemnen.* 6 Septembr. 1613, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Notarius*, n. 18, et apud Pittonum, *loc. cit.*, in. 133.

(52. Non potest episcopus prohibere, ne cæteri notarii, præter solum cancellarium episcopalem possint rogari de instrumentis, quæ commodum locorum piorum concernunt. Sac. cong. Immunit., in *Tudertina* 20 Decemb. 1667, apud Pascuc., in *Compend. ad consulat.*; Pignatell., part. I, tit. *De immunitat. eccles.* pag. 442, et apud Pittonum, *loc. cit.*, n. 1588.

(53. Notarius episcopi non potest assistere simul cum eo electioni abbatissæ in monasteriis subjectis regularibus, nec, durante scrutinio, permanere intra ecclesiam: Sac. congreg. Conc. in *Tiburtina* 26 April. 1727,

ad 2 et 3 dub. *Vid.* tom. III, verb. *ELECTIO*, art. 4, n. 100.

(54. Notario curiæ episcopalis non tenentur uti conservatores regularium, sed possunt assumere quemcumque sibi bene visum. Sac. cong. Concil. in *Ferentina* 17 Decemb. 1667. *Vid.* tom. II, verb. *CONSERVATORES*, artic. 2, n. 22.

(55. Notarius, seu cancellarius curiæ episcopalis non debet admitti ad conscribendum actum electionis abbatissæ monasterii subjecti regularibus, seu notarius, seu secretarius superioris regularis tantum. Sac. cong. Concil. in *Wormatien.* 17 Septembr. 1746, ad 3 dub.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(56. De attestatione notarii circa rasuram instrumenti non inutile est hic agere.

Rasura instrumenti regulariter suspectum illud reddit. At, si notarius attestet se fecisse illam abrasionem, cancellationem, et interlineationem, cessat suspicio. Borel, consil. 22, n. 21; Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. I, disput. 6, cap. 3, n. 1.

(57. Nota vero, notarium attestationem hanc facere debere *incontinenti*, et ante appositionem signi, non post subscriptionem, nec in margine, quia tunc die, et testibus careret, sed in fine et in corpore instrumenti, quando scilicet illi subscribit, illudque publicat. Stryk., *ubi supra*, num. 2.

(58. Quæstionis vero est, num sufficiat generalis attestatio notarii, an vero opus sit, ut accedat specialis? (59. Placuit autem hæc distinctio, ut si plures in instrumento reperiantur rasuræ, generalis attestatio haud sufficiat, sed exprimi in specie debeat locus particularis factæ rasuræ, cancellationis, vel additionis, in qua videlicet sit linea, in quo verbo. (60. Sin autem unica tantum in scriptura sit rasura, vel cancellatio, satis superque sit generalis notarii attestatio.

(61. Quinimo non desunt qui tenent eam satis esse, si duobus in locis ejusdem instrumenti facta sit rasura. Stryk., *loc. cit.*, num. 4.

(62. De eo etiam hic agendum, an et quando notarius possit corrigere errorem? Porro ex intervallo postquam dedit instrumentum partibus, nequit notarius errorem corrigere propria auctoritate sine iudicis mandato, maxime si ipsæ partes contradicant; idque quia functus jam est officio suo: incontinenti vero posse, non dubitatur. Sed dubium est quando dicatur corrigere incontinenti. (63. Hoc enim in jure sumitur, interdum pro sex diebus, interdum pro tribus, et interdum pro momento. Stryk., *eod. loc.*, n. 2 et 3. Confer. et Bartol., in leg. *Imperator*, ff. *De stat. homin.*, qui latius an et quando notarius errorem corrigere valeat discutit.

(64. Nec incongrue paucis hic disserendum de instrumentis confectis a notario falsi damnato. Juris autem est compertissimi, notarium post condemnationem nequire conficere instrumenta, et confecta nihil valere, licet facta ad pias causas.

Stryk., *loc. cit.*, cap. 5, n. 7; Farinac., *De falsitat.*, quæst. 155, n. 4.

(65. Limitat vero Stryk. conclusionem hanc pluribus in casibus: «Nisi (inquit loco allegato) condemnatio de falso fuerit facta per sententiam publice lectam, sed occulte, et secreta, etc., et nisi extra officium notariatus commiserit falsitatem, etc., vel perfecti si non privatus exercitio Tabellionatus, etc., vel tantum quoad certam speciem

NOTORIUM.

SUMMARIUM.

1. Notorium quid sit? — 2. Notorium quare dictum? — 3. Manifestum prout distinguitur a notorio, quid sit? — 4. Publicum quid sit, et quando differat a manifesto? — 5. Manifestum quomodo differat a famoso, et rumore? — 6. Fama est duplex, scilicet fama de homine, et fama inter homines, et quæ sit utraque? — 7. Rumor quid sit? — 8. Assignatur differentia inter famam et rumorem? — 9. Rumor est quid minus, quam fama. — 10. Similiter publicum est quid minus, quam manifestum. — 11. Item manifestum est quid minus, quam notorium. — 12. Occultum est duplex, scilicet proprie occultum, et pene occultum, et quid sit utrumque. — 13. Notorium est triplex, scilicet notorium juris, notorium facti, et notorium præsumptionis. — 14. Notorium juris quid sit? — 15. Notorium facti quid sit? — 16. Notorium præsumptionis quid sit? — 17. Notorium facti adhuc est triplex, scilicet notorium facti permanentis, notorium facti transeuntis, et notorium facti interpolati. — 18. Notorium facti permanentis quid sit? — 19. Notorium facti transeuntis quid sit? — 20. Notorium facti interpolati quid sit? — 21. Ad hoc, ut aliquod factum dicatur

(1. Notorium est jus, vel factum transiens in notionem omnium, vel majoris partis eorum. Est in re communis apud Fagnan., in capit. *Vestra* 7, de cohabit. clericorum, num. 68 et colligitur aperte ex cap. *Quæsitum est*, 10, de cohabit. clericorum, ibi: «Notorium per sententiam seu confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, » et concordat cap. *Cum olim* 23, De verb. significatione. (2. Dicitur autem notorium, quia transit in cognitionem omnium, ut ex Sancto notat Fagnanus *loc. cit.*; nam per majorem partem totus populus representatur, l. *Nulli* 3, l. *Plane* 4, ff. *De regul. juris*, ibi: «Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem.»

(3. Manifestum autem prout distinguitur a notorio, «est publica seu famosa insinuatio, vel proclamatio ex certa scientia, et certis auctoribus proveniens.» Ita in re communis apud Fagnan. *loc. cit.*, num. 55. Dicitur famosa insinuatio, vel proclamatio, quia, ut quid verè dicatur *manifestum*, debet concurrere fama cum veritate. (4. Et ex hoc patet differentia inter *publicum* et *manifestum*, quod scilicet illud dicatur publicum, quod est factum præsentibus multis, sed non est famosum; manifestum vero, quod secum habet famam: arg. cap. 1, *De postul. prælator.*; Fagnanus, *loc. cit.*, num. 56, et alii. Dicitur ex certa scientia, et certis auctori-

ipsi prohibitum exercitium notariatus E. G. in palatio, vel in gabella, etc., vel nisi porro conficiatur inter volentes instrumentum, etc., vel si per principem ad honores, et famam restituatur.»

(66. Illud haud est omittendum, quod notarius instrumentum, quod ante condemnationem celebravit, et nondum publicavit, post condemnationem potest publicare. Stryk.

vere et proprie notorium notorietate facti, sufficit esse factum in præsentia majoris partis populi, seu communitatis, dummodo in tali communitate non sint pauciores homines, quam decem. — 22. Quot requirantur ad constituendum collegium, universitatem, congregationem, familiam, parochiam, turbam, et hujusmodi, *remissive*. — 23. Ad hoc autem, ut aliquod factum dicatur notorium *notorietate facti*, non requiritur quod sit factum in præsentia majoris partis populi, quando populus in aliquo loco, vel civitate est valde numerosus, sed sufficit, quod sit factum in præsentia majoris partis vicinæ, parochiæ, collegii, aut communitatis; respectu cujus dicitur notorium, et in similibus casibus spectat ad discretum judicem declarare, an tale factum sit notorium, vel non. — 24. In factis vere notoriis potest iudex procedere non servato juris ordine, et ea absque alia probatione punire. — 25. Unde ad punienda delicta notoria non requiritur accusator, vel denunciator, nec libellus, sed potest iudex absque his ex officio procedere contra notorie delinquentem. — 26. Nec requiritur productio, aut examinatio testium. — 27. In veris notoriis nulla datur appellatio.

bus proveniens, ut sic pateat sua differentia a famoso et rumore: nam fama non requirit certam scientiam, sed provenit ex sola suspicione. (5. Nec rumor requirit certum auctorem, sed provenit ex incerto auctore, ut patet ex suis definitionibus mox dandis. Manifestum autem certam requirit scientiam, et certos auctores, qui per certam cognitionem habitam medio sensu corporeo verum testimonium dare possint. Fagn. *loc. cit.*, n. 63; Butrius, et alii ibi citati.

(6. Fama est duplex, scilicet fama de homine, et fama inter homines. Fama de homine, scilicet bona, «est illæ sæ dignitatis status, vita, et moribus comprobatus;» l. *Cognitionum* 5, § 1, *De extraordinariis cognitionibus*, prout originaliter descripsit Gloss. in cap. *Infames*, verb. *Infamia* 3, qu. 47. Fama inter homines, de qua ad præsens, «est publica, seu famosa, et communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, et certo auctore proveniens.» Ita in re communis apud Fagnan. *loc. cit.* num. 38, per text., in cap. *Sicut nonnulli*, dist. 46, et c. *Sanctum*, in fine, De consecrat., dist. 4; cap. *Cum insinuante*, De purgation. Canonic.

(7. Rumor est «particularis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspicione, et incerto auctore proveniens.» Ita in re communis, apud Fagnan., *loc. cit.*, num. 44, per text. in cap. *Super eo* 3, De eo qui cognovit consanguin. uxoris suæ; cap. *Osius*, De

election., et cap. *Veniens*, circa princip., De regular.

(8. Unde patet in quo differant fama et rumor: fama enim a certo auctore procedit, et rumor ab incerto, et insuper fama est majoris partis viciniæ; rumor vero minoris partis, ut tertiæ, vel quartæ partis. Fagnan., *l. cit.*, n. 44, cum aliis ibi citatis. (9. Et sic rumor est quid minus, quam fama. *Gloss.*, in cap. *Super eo* 5, De eo qui cognovit consanguin. uxoris suæ; Abbas, in cap. *Vestra* 7, De cohabit. clericor. et mulierum, num. 12 in fine, vers. *Rumor vero*; Fagnan., *ibid.*, num. 44, et alii.

(10. Similiter publicum est quid minus, quam manifestum, cum ad manifestum requiratur fama, non vero ad publicum, et omne, quod est manifestum, sit etiam publicum, sed non e contra; arg. cap. 1, de postulat. prælator.; Fagnan., *loc. cit.*, n. 56; Butrius et alii. (11. Item manifestum, proprie loquendo, est quid minus, quam notorium: omne enim, quod est notorium, est etiam manifestum, sed non e contra, arg. cap. *De hoc* 13, De Simonia; Abbas, *loc. cit.*, num. 12; Fagnan., *loc. cit.*, num. 54, et alii.

(12. Occultum quamvis varie sumatur, præcipue tamen duplici modo aliquid dicitur occultum, scilicet proprie occultum et pene occultum. Proprie occultum dicitur illud, quod nulla ratione probari potest. Fagnan., *loc. cit.*, num. 43, ubi testatur de communi, arg. capit. unico, *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur*. Pene, vel quasi occultum est, quod probari quidem potest, sed solum difficulter, et per paucos v. g. per duos, vel tres, aut quinque. Nam secretum adhuc dicitur etiam illud, quod fit in præsentia quinque personarum, antequam judicialiter sit discussum, c. *Quis aliquando* 87; De penit., dist. 1, § *Hæc ergo secreta*, verb. *Filiam archisynagogi*, et notat ibi *Gloss.*, verb. *Secreta*, observans, « esse secreta, quæ sunt sub præsentia quinque personarum; » et ideo donec clare fiat fides in iudicio, ab Ecclesia toleratur, cap. *Vestra* 7, De cohabit. clericor. et mulierum, ibi: « Aliud est pene occultum, quod ab Ecclesia toleratur, » et *Glossa, ibid.*, verb. *Occultum*, ibi: « Tandiu reputatur occultum, licet plures sciant, quandiu ab Ecclesia toleratur, » utpote ad iudicium nondum deductum.

(13. Notorium est triplex, scilicet notorium juris, notorium facti, et notorium præsumptionis: *Glossa* communiter recepta in cit. c. *Vestra*, verb. *Notorium*. (14. Notorium juris est, de quo aliquis in iudicio condemnatus, aut in iure confessus est. Ita in re communis per textum in cap. *Quæsitum est* 10, De cohabit. clericor. et mulierum, ibi: « Notorium per sententiam, seu per confessionem factam in iure. » (16. Notorium facti est factum ita evidenter exhibitum conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari. Ita in re communis, per textum in cit. cap. *Quæsitum*, ibi: « Aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit; » et c. *Cum olim* 24, De verb.

signif., ibi: « Aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari. » (16. Notorium præsumptionis, seu notorium præsumptum, est dictum, vel factum ex publicis circumstantiis a iure pro veritate acceptum, seu est evidentia juris vehementer præsumpta. Ita in re communis apud Fagnan., *l. c.*, n. 84 et seq. Exempla notoriæ præsumptionis sunt paternitas et filiatio; nam quod aliquis sit alterius pater, vel filius, non potest vere probari, l. *Lucianus* 83, ff. *De conditionibus et demonstrationibus*. Sed jus præsumit vehementer esse filium, qui natus est de nuptiis, l. *Filius* 6, ff. *De his qui sui vel alieni juris sunt*, ibi: « Filium enim definimus, qui ex viro, et uxore ejus nascitur; » et concordat l. *Quia* 5, *De in jus vocando*, ibi: « Pater vero is est quem nuptiæ demonstrant. » Vel quia publice pro filio habitus, et nominatus, atque altus fuit. *Glossa* communiter recepta in cap. *Michael* 13, De filiis presbyterorum, verb. *Constituitur*. Idem solet exemplificari in infamato, cui indicta est purgatio canonica, et deficit, tunc enim is præsumitur esse reus criminis: cap. *Tua* 8, De cohabit. cleric. et mulier., cap. *Insinuatum* 23, De Simonia; Fagnan., *loc. cit.*, n. 86, et alii.

(17. Notorium facti adhuc est triplex, sicut et factum, scil. notorium facti permanentis, notorium facti transeuntis, et notorium facti interpolati: *Glossa* communiter recepta in cap. *Manifesta* 15, caus. 2, quæst. 1; Fagnan., *loc. cit.*, n. 78, et alii passim.

(18. Notorium facti permanentis est, quod continuo sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, unde non indiget aliqua probatione, nisi inspectione oculari. Exemplum est de eo, qui detinet in domo, mensa, et lecto concubinam, omnibus scientibus, et videntibus filios natos, et nascentes, qui reddunt notoriam incontinentiam continuam; arg. cap. *Priusquam*, dist. 29; cap. *Proposuit*, dist. 82, cap. *Consuluit* 14, De appellationibus, cap. *Tua* 8, De cohabit. clericor. et mulierum; l. *Si vicinis* 9; cod. *De nuptiis*, cum similibus; Fagnan., *loc. cit.*, n. 79 et seq., cum aliis ibi citatis. (19. Notorium facti transeuntis est, quod transeunter sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, ut cum quis in publica platea, seu via in conspectu totius populi aliquem occidit, et hujusmodi. Cap. *Deus omnipotens* 20, § *Quando autem*, caus. 82, quæst. 1; Fagnan., *loc. cit.*, n. 2, et alii passim. (20. Notorium facti interpolati est, quod non continuo, sed sæpius per intervalla, seu interpolate sic se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, ut patet de usurario publico, qui non continuo, sed interpolate mutat ad usuras. Cap. *Cum tu* 5, De usuris; et sic de meretrice notoria, quæ non peccat continuo, sed interpolatim et de similibus. (21. Et hujusmodi notorium facti interpolati, sicut et notorium facti transeuntis cum non habeat facti permanentiam, si subesse negetur, indiget probatione, arg. cap. *Consuluit*

14, De appellat., ubi notatur quod multa dicuntur notoria, quæ talia non sunt, adeoque ubi negetur, probari debent.

(22. Ad hoc, ut aliquod factum dicatur vere et proprie notorium notorietate facti, sufficit esse factum in præsentia majoris partis populi, viciniæ, parochiæ, collegii, communitatis, etc. dummodo tamen in tali communitate non sint pauciores homines, quam decem. Quia decem constituunt populum; arg. cap. unic. 3, caus. 10, q. 3; *Glossa, ibidem*, verb. *Mancipia*, et jam fuit dictum sub verb. *Collegium*, a num. 5 ad 17 ubi fuit assignatum quot requirantur ad constituendum collegium, universitatem, congregationem, familiam, parochiam, populum, Turbam, etc., adeoque, cum excitis iuribus supra, n. 2, per majorem partem totus populus representetur, id quod fit coram majori parte communitatis, coram omnibus ejusdem, et sic notorie, fieri censetur. Abbas, in cap. *Vestra* 7, De cohabit. cleric. et mulierum, n. 16; Silvester, verb. *Notorium*, qu. 4; Navarr., in *Manual.*, cap. 27, n. 55; Salicet., in l. *Ea quidem* 7, cod. *De accusation.*, n. 38, et alii passim; arg. cap. *De manifesta* 16, caus. 2; quæst. 1, et *Glossa ibidem*, verb. *Plurimis*.

(23. Ad hoc autem, ut aliquid factum dicatur notorium notorietate facti, non requiritur, quod sit factum in præsentia majoris partis populi, quando populus in aliquo loco, vel civitate est valde numerosus, quia nemo audebit dicere, quod in civitate 600 mille hominum, ad hoc, ut aliquod factum dicatur notorium, requiratur quod sit factum in præsentia 300 mille hominum, sed sufficit, quod sit factum in præsentia majoris partis viciniæ, parochiæ, collegii, aut communitatis, respectu cujus dicitur notorium; et in similibus spectat ad prudentem, et discretum judicem declarare ex circumstantiis, et qualitate actus, loci, temporis, et personarum, an tale factum sit notorium, vel non, cum circa hoc nihil habeatur in iure definitum; arg. l. 1, § 2, *De jure delib. berand.*; l. *Continuus* 137, ff. *De verbor. obligat.*, et cap. *De causis* 5, De offic. delegati. Sic Abbas, in cit. cap. *Vestra*, n. 16; Fagnan., *ibidem*, n. 92, cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel, lib. v *Secr.*, tit. 1, a num. 250, et alii.

(24. In factis vere notoriis potest iudex procedere, non servato juris ordine, et ea absque alia probatione punire. *Communis*, per clarissimos textus in cap. *Prohibentur* 14, § *His omnibus caus.* 2, qu. 1, ibi: « Quæ manifesta (id est notoria) sunt, iudicium ordinem non requirunt, » cap. *Quæ Lotharius* 16, ead. caus. 2, quæst. 1, ibi: « In talibus (scilicet notoriis) iudicarius ordo non requiritur; cap. *Super eo* 3, De testibus cogendis, ibi: « Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari, cum talia probationem, vel ordinem iudicarium non requirant. »

(25. Unde ad puniendam delicta notoria non requiritur accusator, denunciator, nec libellus, sed potest iudex absque his ex-

ficio procedere contra notorie delinquentem. *Communis* textu expresso in c. *Evidentia* 9, De accusationibus, ibi: « Evidentia patratæ sceleris non indiget clamore accusatoris; » cap. *Manifesta* 15, caus. 2, q. 1, ibi: « Manifesta accusatione non indigent. » *Clementin. Sæpe* 2, De verb. significat., verb. *Nos autem*, cum similibus. (26. Nec requiritur productio, aut examinatio testium; *Communis*, textu expresso in cap. *De manifesta* 17, caus. 2, qu. 1, ibi: « De manifesta et nota pluribus causa, non sunt quærendi testes; » cap. *Super eo* 3, De testibus cogendis, ibi: « Si factum est notorium, non eget testium depositionibus declarari. » Cum enim iudex jam certus sit ex facto vere notorio, non indiget per testes ulterius certiorari, arg. cap. *Eum qui* 31, De regul. juris, in 6, ibi: « Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. »

(27. In vere notoriis nulla datur appellatio: et si appelletur, potest iudex procedere ad executionem pænæ, non obstante tali appellatione. *Communis*, textu expresso in cap. *Cum sit Romana* 5, De appellationibus, ibi: « Qui de crimine impetitur, appellare potest, nisi sit notorium; » cap. *Pervenit* 13, tit. eod., ibi: « Si vero publicus est, et notorius, appellationis obtentu, non prætermittas, quin eos excommunicatos denunties, ipsosque facias, sicut excommunicatos, cautius evitari, » et concordant cap. *Consuluit* 14, et cap. *Proposuit* 24, tit. eodem.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(28. Recte ait *Gloss.* in c. *Manifesta*, caus. 2, qu. 1, « quotidie de notorio loquimur, quid autem sit ignoramus. »

(29. Non male autem describitur notorium: « id, quod omnibus, vel plerisque, ita manifestum, evidens, publicum, cognitumque est, ut nullo modo a quovis in dubium vocari possit, sed de quo omnes, vel plerique certam notitiam, et indubitam fidem habent. »

(30. Itaque manifestum, evidens, notum, et cognitum esse, per se non facit notorium, nisi item sit et omnibus, vel plerisque manifestum, evidens, notum cognitumque, ut nihil amplius dubii remaneat.

(31. Patet autem hinc, non omne manifestum esse notorium. Potest enim quid esse manifestum, quod tamen non omnibus, vel plerisque notum sit, et ita nec notorium. Idemque dici potest de evidenti. Quinimo nec omne publicum dici potest notorium. Aliquando enim dicitur publicum id de quo per famam constat. Hoc vero dici nequit notorium, quum tergiversatione, seu exceptione quadam possit celari, et elidi.

(32. Utile autem est hæc observasse; nam ex confusione notorii, cum manifesto, evidenti, et publico nonnulli errores nati sunt. Huc pertinet, quod dicitur communiter, *acta iudicii facere notorium*. (33. Quot, quæso, negotia et lites paraguntur, et deiciuntur in iudicio, quæ tamen in paucissimorum hominum notitiam veniunt? Por-

ro *notoria* hæc esse nemo, qui ob oculos habeat veram descriptionem *notorii*, affirmare potest. *Vide* et alios errores notatos a Stryk., *Juridic. dissert.*, vol. XII, disp. 4, capit. 1, § 16 et plur. seq., qui una ex justa idea *notorii* rejicit divisionem, quam vulgo tradunt doctores » *notorii in notorium juris, et notorium facti, et notorii juris in notorium dispositionis, notorium præsumptionis, et notorium probationis.* »

(34. De notorio, an, et quomodo probationem in judicio admittere possit, necne, *vide* Stryk., *ubi sup.*, cap. 2, per tot.

(35. Effectus *notorii* plures vulgo tradi solent. Prior est, quod « in *notoriis* juris ordo non sit servandus. » At effectum hunc aliqui admittunt tantum in criminalibus, non item in civilibus. Sunt qui et in criminalibus hunc ipsum effectum admittunt, si agatur de « *notorio* facti permanentis, » nequaquam vero de « *notorio* facti transeuntis. »

(36. Mihi vero eorum arridet sententia, qui tenent in *notorio* non esse causam ordinario modo discutiendam, sed summario absque strepitu, et figura iudicii discuti omnino debere, et sic omitti haud posse essentialia processus, aliqualem scilicet cita-

NOVITIATUS, NOVITIUS, NOVITIA.

SUMMARIUM.

1. Novitiatus annus ad quid institutus? — 2. Novitiatus annus quando incipiat? — 3. Alia plurima quoad novitiatus annum, *remissive*. — 4. Novitiatus de licentia superioris, et ex justa causa, potest fieri partim in uno conventu designato, et partim in alio item designato. — 5. Novitios ad habitum recipere de jure communi pertinet ad prælatum et conventum simul. — 6. Regulariter tamen debent attendi constitutiones, consuetudines et privilegia cujuscunque religionis pro receptione suorum respective novitorum. — 7. Si novitius in aliqua religione recipiatur a non habente auctoritatem secundum suas peculiare leges, seu constitutiones, talis receptio est nulla; et ipse novitius potest a superioribus spoliari, et a religione dimitti. — 8. Novitii in ordine Fratrum minorum de observantia quomodo ad professionem debeant admitti? — 9. In paritate votorum debent vota ferri usque ad tertiam vicem, et si semper fuerint paria, debet novitius expelli absque ulteriori computatione, nisi aliter in Domino censerit P. provincialis, qui in hoc votum decisivum ferre, vel aliam computationem imponere potest. — 10. Religiosi consentientes, et concurrentes ad expulsionem novitii habilis per denegationem suffragii absque legitima causa, peccant mortaliter, sicut etiam mortaliter peccant, si admittant per sua favorabilia suffragia ad religionem novitios certo cognitos inhabiles. — 11. Novitii non tenentur ad statuta et præcepta regule ex debito justitiæ. — 12. Tenentur tamen ad ea ex quadam decencia. — 13. Novitii non subjiciuntur casibus reservatis a superioribus suæ religionis, nec casibus reservatis ab episcopo loci, unde non possunt innodari censuris nec ab episcopo, nec a superiore religionis. — 14. Hinc novitii possunt sine alia licentia absolvi a quolibet confessario approbato pro fratribus sine expressa exclusionem novitorum. — 15. Insuper novitii absque licentia prælatorum ordinis possunt valide confiteri, et absolvi a peccatis etiam in religione reservatis per quemcumque confessarium, sive sæcularem, sive regularem ab ordinario loci pro sæcularibus approbatur. — 16. Novitii, seu sæculares non-

tionem, responsionem rei, demonstrationem, defensam, et sententiam. Et hoc intellexit Summus Pontifex dum in cap. 2, *De jurerejurando*, inquit, « ordinem judicium non esse observandum » in notorio, ut observant Gonzalez, *ibidem*, n. 1; Stryk., *loc. cit.*, capit. 3, § 5 et plur. seq., qui confutat alios effectus, quos, tametsi non allegatum, primo falso derivare solent DD. scilicet in « *notorii* citatione opus non esse, nec libello; cessare liti contestationem: causæ cognitionem a parte iudicis non esse necessariam; nulli defensionis locum esse: nullam requiri sententiam: non esse admittendam appellationem, etc. »

(37. Alii *notorii* effectus tradi solent, videlicet quod « illud, tametsi non allegatum, iudex ex officio supplere valeat, quod tollat ignorantiam præsumptionem, quod aliquando possit limitare leges, statuta, et rescripta, quod ferri super eo possit sententia die feriata, quod sententia valeat etiam sine scriptura. » At consule de iis animadversiones Stryk. *eodem loco*, cap. 4, a § 24 ad finem.

Confer etiam, ubi de notorio disserere occurrit, dissertationes Strauch., Eberhard. et Orthlii.

dum induiti, de brevi tamen induendi, et jam in novitiatum admissi, possunt a confessariis etiam a solo prælato regulari approbati absolvi ab omni excommunicatione et censura etiam ab homine generaliter lata. — 17. Imo, si dicti juvenes, dum sic sunt in monasterio, infirmantur, possunt omnia sacramenta recipere a regularibus dicti monasterii; et, si decedant, possunt in eorum ecclesia tumulari inconsulto parochio, et quarta funeris non soluta. — 18. Novitii et novitiæ in articulo mortis existentes, etiam anno novitiatus non completo, si sint in ætate legitima, possunt professionem emittere. — 19. Si tamen hujusmodi novitii et novitiæ convalescerint, debent, suo novitiatus tempore completo, iterum profiteri. — 20. Novitii et novitiæ gaudent omnibus privilegiis suæ respective religionis, adeoque gaudent etiam privilegio fori et canonis. — 21. Insuper specialiter lucrantur indulgentiam plenariam diebus suæ vestitionis et professionis. — 22. Novitii soli de more recitantes in choro horas canonicas satisfaciunt præcepto loco professorum. — 23. Beneficium clerici ingredientis religionem non potest ab episcopo alteri conferri infra annum novitiatus ipsius. — 24. Et interim, durante tempore novitiatus, per alium beneficium functiones, et sacra præstari debent, assignata ei congrua sustentatione ex redditibus ipsius beneficii. — 25. Talis congrua quantitas determinari debet ab episcopo loci. — 26. Residui autem fructus reservandi sunt, atque restituendi novitio tanquam vero beneficiario, si exeat. — 27. Si vero novitius beneficiatus professionem emittat, restituendi sunt monasterio. — 28. Si novitii beneficium habeat annexum jus eligendi, si ipse velit electioni interesse, excludi non potest. — 29. Non est tamen necessario vocandus. — 30. Novitii, ut valide renuntiationem, seu obligationem irrevocabilem faciant de suis bonis, et iuribus temporalibus, ultra solemnitates juris communis, debent necessario observare alias duas specialiter statutas a concilio Tridentino, videlicet quod talis renuntiatio fiat cum licentia episcopi, et intra duos menses proximos ante professionem. — 31. Vi hujus decreti concilii Tridentini prohibentur et irritantur omnes tam lucrativi, quam onerosi in-

ter vivos contractus, quibus novitii libertas defendendi religionem possit aliquoties impediri. — 32. Item prohibentur, et irritantur omnes donationes notabiles, seu magni momenti. — 33. Item prohibentur, et irritantur omnes remissiones debitorum notabilium. — 34. Item prohibentur, et irritantur renuntiationes, et donationes etiam jurum ad futuras hereditates. — 35. Vi dicti decreti concilii Tridentini non prohibentur, nec irritantur testamenta, et alia dispositiones mortis causa factæ a novitiis. — 36. Item non prohibentur, nec irritantur illi contractus onerosi, quorum novitius tantum recipit, quantum dat. — 37. Item non prohibentur, nec irritantur renuntiationes, et obligationes, quæ fiunt ante ingressum, et absque intuitu ingressus in religionem. — 38. Item neque prohibentur, nec irritantur renuntiationes, donationes, et obligationes factæ ante ingressum religionis etiam intuitu, et causa ipsius ingressus religionis, ad n. 41. — 42. Novitii sine solemnitatibus a Tridentino requisitis possunt valide, et licite facere modicas elemosynas et modicas donationes Deo, seu beate Mariæ, vel sanctis. — 43. Renuntiatio facta ad favorem Patrum Societatis Jesu pro novitium inter Patres dictæ Societatis est valida, non obstante, quod non fuerit facta cum licentia episcopi. — 44. Imo novitii societatis Jesu possunt renuntiare bonis in favorem Societatis, vel cujuscunque, non servata forma concilii, nec expectato bimestri proximo ante professionem. — 45. Novitii Societatis Jesu, qui post vota simplicia, ante tamen solemnem professionem, a dicta Societate ab eisdem præposito generali dimittuntur, nulla ab eadem Societate debentur alimenta. — 46. Novitius habens beneficium ecclesiasticum nequit illud renuntiare, non servata solemnitate a concilio requisita. — 47. Donatio facta a novitio cum solemnitate a concilio requisita, ad hoc, ut sit firma, requiritur, ut professio sit valida. — 48. Ratificata vero professione, si illa nulliter emissa fuerit, censetur quoque renuntiatio ratificata, et valida; dummodo in ratificatione expresse non declaret nolle denuo bonis renuntiare. — 49. Novitius, si, servata solemnitate concilii, renuntiaverit legitimam, et emissam professionem, sit factus episcopus; recuperat jus succedendi in dicta legitima etiam quoad renuntiatam, ad favorem tamen suæ Ecclesie. — 50. Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante, sive post ingressum religionis, et durante novitiatu aliud concedere. — 51. Novitius in testamento nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post professionem. — 52. Potest tamen novitius in suo testamento præcipere, ut aliquid ex ejus bonis etiam post suam professionem quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annuum legatum, vel ne quid de eis alienetur, et hujusmodi. — 53. Novitius, si ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, actiones et jura monasterium, si sit capax bonorum; si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato. — 54. Post professionem emissam non potest religiosus testamentum ante professionem factum revocare. — 55. Potest tamen testamentum suum ante professionem factum declarare. — 56. Monasterio nihil, excepto victu et vestitu, potest tribui a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus novitii, ex bonis ejusdem novitii, sub pœna excommunicationis incurrende a dantibus, et accipientibus. — 57. Imo sub eadem pœna neque potest aliquid dari, et recipi ex bonis propriis parentum, vel consanguineorum. — 58. Unde pater nequit dare paramentum altaris religioni, ubi ejus filius est in novitiatu. — 59. Insuper neque novitius potest in ingressu aliquid donare monasterio, etiam si sui juris, et non habeat parentes. — 60. Excommunicatio lata a Tridentino in dantes, et accipientes aliquid ante professionem novitii non incurritur ipso facto, nec est Sedi Apostolicæ reservata. — 61. Pacta, seu conventiones, quibus regu-

lares utriusque sexus exigunt a parentibus novitii, seu novitiæ aliquam pecuniæ summam convivii causa tempore ejus vestitionis, vel professionis, prohibentur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, et papæ reservatæ. — 62. An hujusmodi pacta sint etiam comprehensa in d. cap. 16 Concilii Tridentini? — 63. De hoc *remissive*. — 64. Monialibus prohibitum est dotes accipere ante professionem novitiarum etiam sub nomine depositi, quamvis præstetur cautio de illis restituendis professione non secuta. — 65. Hinc improbatu cautela, ut depositarius totum, quod in depositum recipit, monasterio consignet ante novitiarum professionem. — 66. Novitio egredienti, vel ejecto restitui debent omnia bona, quæ secum tulit, nec quid minimum ex eis retinere possunt superiores regulares, quod ut recte fiat, episcopus potest per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, eos ad id compellere. — 67. Imo novitio exeunte, aut decedente ante sequutam professionem, nec retineri possunt per monasterium bona ipsi donata, etiam servata solemnitate, et forma concilii. — 68. Habitus tamen religionis non est restituendus novitio, sed illius pretium. — 69. Novitius sponte, vel coacte egrediens tenetur solvere expensas in sui victum, et vestitum, et in alia necessaria, et consueta a monasterio factas, si de eorum solutione pactum intercesserit inter novitium et monasterium, aut exstet legitima consuetudo eas solvendi. — 70. Non tenetur tamen novitius solvere dictas expensas, ubi non intercesserit tale pactum, aut non exstet talis legitima consuetudo, ut in nostra religione de corpore Observantiæ et Capuccinorum. — 71. Dos novitiæ decedentis ante professionem debet hæredibus restitui una cum fructibus, deducto tamen illius victu, et vestitu. — 72. Imo hoc etiam procedit, non obstante pacto, ut si puella post annum decesserit, facta, vel non facta professione, dos monasterio acquiratur. — 73. Licentia episcopi, seu ejus vicarii requisita pro renuntiatione faciendâ a novitio intra duos menses proximos ante professionem debet intervenire in ipso actu renuntiationis. — 74. Episcopus confirmatus, nondum consecratus potest concedere in sua diocesi novitio talem licentiam ad renuntiandum. — 75. Archiepiscopus, licet pallium nondum receperit, potest hujusmodi licentiam in sua diocesi concedere. — 76. Capitulum sede vacante, seu vicarius capitularis potest concedere eandem licentiam. — 77. Abbates, et alii prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem, nullique episcopo subjecti possunt in suis diocesis hanc licentiam concedere. — 78. Prælati regulares non possunt hanc licentiam concedere etiam in monasteriis exemptis, et sibi subjectis. — 79. Formam laicorum statuto prescriptam nequaquam oportet servare in renuntiationibus, quæ fiunt a novitiis intra probationis annum. — 80. Non est necesse quod renuntiatio honorum, ut sit valida, fiat a novitio integro bimestri ante professionem, sed satis est, ut fiat intra totum bimestre ante professionem, quamvis immediate ante ipsam. — 81. Bimestre hoc computandum est de momento in momentum, et secundum quod occurrit mensis in Calendario. — 82. Renuntiatio facta a novitio per duos menses ante professionem tenet, licet ante expletum decimum sextum annum. — 83. Ex quacunque causa contingat professionem protrahi ultra annum, valet renuntiatio facta a novitio post decimum novitiatus mensem. — 84. Renuntiatio a novitio excedente ætatem 16 annorum facta absque solemnitate requisita a concilio, est invalida. — 85. Renuntiatio facta per eum, qui nulliter emisit professionem, si postea, cognita invaliditate, iterum valide professus sit, declarans nolle denuo bonis renuntiare, quatenus prior renuntiatio non sustineatur, est nulla. — 86. Deferre habitum novitorum non est de essentia, et necessitate anni probationis ad validitatem professionis, sed sufficit deferre habitum religionis, seu professorum. — 87. Novitius deferens per annum